



METHODVS FACILIMA

AD EXPLICATIONEM SACROSANCTÆ

APOCALYPSEOS IOANNIS THEOLOGI,

ex ipso libro desumpta.

Breuis partitio totius libri, quæ eius & argumentum, & ordinem omnem complectitur, partiumque præcipuarum inter se connexionem indicat.



SANCTISSIMA hæc Apocalypsis non incommodè in tres præcipuas partes diuidi posse videtur, ad faciliorem perceptionem rerum omnium in ea comprehensarum & descriptarum. Prima pars ad initium vsque capitis quarti extenditur: secunda habet quartum caput & sequentia omnia vsque ad initium vigesimi primi. Tertia continetur duobus vltimis capitibus. Nunc, quoad eius fieri poterit (neque enim eodem vbique verborum compendio id præstare datur) succinctissimè percurramus harum trium præcipuarum partium summam.

PRIMA PARS APOCALYPSEOS.

Caput primum, secundum, tertium.

PRima tria capita (præter totius libri titulum, & visionem illam admirandam, qua Filius Dei apparet Ioanni, testaturque se esse huius Apocalypseos authorem datum à Patre) continent laudationes, consolationes, promissiones, reprehensiones, comminationes ad septem Ecclesias Asiæ, & sub earum nominibus ad omnes in vniuersum Ecclesias, vel tum præsentis, vel postea futuras, vsque ad finem seculi. Verbum enim Domini manet in æternum. Præcipue tamen spectabant hæc ad confirmandos in cursu sanctæ vocationis, & pura fide Iesu Christi singulos fideles, & totas Ecclesias, vsque ad tempora Antichristianæ defectionis (quæ cap. 3. vers. 10. dicitur hora tentationis ventura in vniuersum orbem ad explorandos incolas terræ) & in genere præmuniendas ad præcauenda pericula ab illius primordiis, & anteambulationibus multò antè præcurrētibus, irrepētibus, & sese vario astu insinuantibus, manente tamen substantia, & essentiali forma sacri ministerij Ecclesiastici, plærisque semper in locis.

PARS SECVNDA APOCALYPSEOS.

Caput quartum, quintum, sextum, septimum, octauum, nonum, decimum, undecimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquartum, decimumquintum, decimumsextum, decimumseptimum, decimumoctauum, decimum nonum, vigesimum.

CÆterùm quia tam horrenda dissipatio omnium Ecclesiarum, labefactatio sacrosanctæ Dei veritatis, deformatio totius domus Dei, & sessio Antichristi in templo eius, retenta inani larua sacrorum nominum ad fucandam impietatem Diabolicam, rerum monstra erant, quæ optimos quosque, ipsos (inquam) etiam Dei electos, partim terroribus & minis concutere, partim vana specie pietatis decipere, fallere, & in errorem abducere, adeoque tandem in exitium pertrahere posse viderentur: ab initio capitis quarti, ad vigesimum vsque primum caput, totus libri contextus consumitur in variè describenda, graphicè depingenda sæpius, & ob oculos omnium ponenda Romani Papatus abominatione, omnes Ecclesias fastuosè conculcantis, & Deo contumeliosissimè simul, & vaferrimè illudentis. Et tamen subinde multa interferit, aspergit, intexit, quæ Deum & Christum eius pronūtiēt, & apertissimè ostendant, partim iustissimè sic vlcisci mundi ingratiudinē, & contemptum Euangelij, partim suos conseruare, vel illæsos à tam noxiis erroribus, vel sic æstu illo dese-

A. j.